



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 83. Catholici in Anglia dire vexati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

dummodo Verbo Dei non repugnent, porro id in loco secreto ad satisfaciendum eorum conscientis, talique modo fiat, ut Reginae subditi Ecclesiasticas Regni leges violandi ansam inde arripere nequeant. Franciæ Orator ægre admodum impetrare poterat, ut hæc verba: *ritus Verbo Dei repugnantes*, commutarenrur in ista: *Ecclesie Dei repugnantes*, quæ subrogari Regina annuit: verum insuperhabita simulata hac confessione, nihilominus totum negotium in irritum cecidit, eoquod Elisabetha novas difficultates excogitasset.

Sæcul. XVI.  
A.C 1571.

§. LXXXIII.

*Catholici in Anglia dire vexati.*

Attamen Regina in spuria suæ reformationis negotio animum magis sincerum exhibebat: dum hoc anno triginta novem illos articulos in Londinensi Synodo, quæ anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo celebrabatur, propositos confirmabat: quoniam vero ob anathematis sententiam, qua a Pio V. Papa, ejusque Affeclis hæc Regina fuit percussa, vehementer, prout alibi meminimus, esset exasperata, hinc nova decreta contra Catholicos edidit, cunctaque illorum bona, qui propter Religionem Regno excefferunt, proscripsit, præcipue vero

*Cambden in  
vita Elisab.  
Sander. de  
visib. Monarch.*

ro



Sæcul. XVI.  
A.C 1571.

ro Jesuitas in Angliam delatos, omnesque, qui eos receperunt, tanquam læsæ Majestatis reos declaravit: nec his contenta postmodum harum pænarum severitatem augens ad gravissimas pecuniarum multas condemnavit illos, qui Anglicanæ sectæ conventiculis interesse recūsarent, eos autem, qui ab hac hæresi recedere Anglis persuaderent, perduellionis reos pronuntiavit: insuper omnibus, cujuscunque conditionis essent, a Senatu prohibitum, ne pro illis, qui ob violatas Regni leges in vincula coniecti essent, deprecarentur, præterea sancitum, ut omnes illi, qui ad eos in libertatem asserendos quovis pacto suam operam contulissent, nisi id judicii auctoritate factum fuisset, ipsimet tanquam læsæ Majestatis crimini haberentur obnoxii (\*).

§. LXXXIV.

*Anglici Senatus edictum in favorem  
Elisabethæ.*

Edito

(\*) En egregium libertatis conscientiæ exemplum, ex quo manifeste elucet, quod hæretici hanc libertatem tantum ideo deprædicent, ut vitæ licentia diffluentes se ab omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ legibus eximant, & Catholicos divexandi obtentum aquirant.